

EXERCITATIO L X.

Deum & Creaturam habere aliquam in re similitudinem & convenientiam.

1. **M**aximam inter Deum & rem creatam intercedere differentiam ac dissimilitudinem nemo est qui ambigat : an verò, illa non obstante, aliqua etiam inter ea sit convenientia & similitudo, dubitari potest. Idcirco in hanc rem Exercitationibus aliquot (conscriptis quidem ante plures annos, quo tempore Cartesianæ Philosophiæ lux mihi nondum illuxerat) inquiremus, ut de rerum omnium consonantia atque cognatione, de qua præcedente Exercit. actum fuit, mens nostra ampliùs confirmetur. Neque enim de aliarum rerum convenientia quæstio ulterius movebitur, ubi constiterit, Dei cum rebus creatis quibuscunque aliquam esse similitudinem.

2. Rem ita se habere videtur præsumi & colligi vel ex generali illa notione, quòd omne dissimilè sit alio etiam modo simile, seu, quod omne distinctum sit etiam aliqua ratione conjunctum. Relativa

D d 3 enim